

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Gaide, Armandus. - An a laesionibus  
organicis vesaniae ?**

**1829.**

**Paris : Ex typis Lefebvre**

**Cote : 90975**

11.

# COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO REGIAE

UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

AN A LÆSIONIBUS ORGANICIS VESANIÆ?

## THESES

*Quas, Deo favente, in saluberrima Facultate Medica Parisiensi,  
præsentibus competitionis iudicibus, publicis competitorum dispu-  
tationibus subjiciet et dilucidare conabitur, die                    mensis  
anno MDCCC. XXIX.*

ARMANDUS GAIDE,

DOCTOR MEDICÆ.



PARISIIS,

EX TYPIS LEFEBVRE,

VIA VULGÒ DICTA DE BOURBON, N<sup>o</sup>. 11.



*Præses.* . . . . . D. ESQUIROL.

*Judices.* . . . . . DD.

CHOMEL.  
CAYOL.  
FIZEAU.  
LANDRÉ-BEAUVAIS.  
ADELON.  
ANDRAL.  
GAULTIER DE CLAUBRY.

*Vicem-Gerentes.* . . . . . DD.

RULLIER.  
KERGARDEC.

COMPETITORES.

DD. MAILLY. — DE FERMONT. — GUIBERT. — LÉGER. — HOURMANN.  
— AYME. — BROUSSAIS. — CHANEL. — DALMAS. — SANDRAS. —  
GUÉRARD. — BERJAUD. — SAMSON. — MÉNIÈRES. — FORGET. —  
DUBOIS. — ROYER-COLLARD. — VIDAL. — GUILLOT. — REQUIN.

---

# QUÆSTIO.

---

## AN A LÆSIONIBUS ORGANICIS VESANIÆ?

---

### I.

Omnes auctores eundem ferè sensum *Vesaniæ* verbo astrixerunt. Hic quoque, intellectum velim eodem sensu quo gallicè : *aliénation mentale*.

### II.

Vesaniæ sunt morbi quidam quibus afficitur cerebrum, satis vulgò diuturni, quos semper sequuntur plùs aut minùs absolutæ intellectualium facultatum læsiones, et qui sæpè integri permanere sinunt *nec sensibilatem nec motus*.

### III.

Vesaniarum causa, nisi proprietatum atque virium quæ organisationem regunt perturbationibus, aut organicis læsionibus, non aliò inquirenda mihi videtur.

## IV.

Quoniam nihil aliud sit vitale principium, nisi suâ penitus ignota facultatis naturâ expressio; me cogitante, ab illo, solum modò, deduci possunt vesaniæ, quando organicæ læsiones nobis ullo modo totam non præbent solutionem: quin imò, etiam si hanc-ce daremus explicationem, tantùm emitteretur difficultas, causæ enim morbidæ ignarum me fateri antepono, potius quam ad principii ignoti alterationem illam referam.

## V.

Verba *læsiones organicæ* ferè prorsùs ab omni logomachiâ soluta sunt. Apud nos significant velimus quemlibet statum inæqualem ac insolitum partium nostrarum tum solidarum tum liquidarum, sive congenialis sit, sive postea comparatus.

## VI.

Ut ratione verâ æstimentur læsionum organicarum in quibusdam corporis nostri partibus existentia, rectè priùs cognoscendus est qui sit earum status integer: alioquin nec certo proficisci, nec certâ verborum significatione uti possemus.

## VII.

Imposito argumento certa et omni prorsùs objectione destituta *nunc* impossibilis est solutio.

VIII.

De unâquâque vesaniarum breviter et singulatim prolo-  
quar prout ex organicis læsionibus exoriri videantur, aliquot  
proposita generalia.

*De Idiotiâ.*

IX.

Idiotia est plus minùsve absoluta intellectualium faculta-  
tum absentia, læsio quæ fieri incipit quotiès cessat cerebri  
evolutio, sive hæc anomalia congenialis sit, sive pueri ortum  
sequatur, cum vix jàm sese explicuère intellectuales facultates.

X.

Læsiones organicæ quæ in idiotiâ occurrunt encephalum  
lædunt et partes quorum in illud actio proxima est, calvam  
scilicet, arteriæ, etc.

XI.

Inter encephali læsiones reperiuntur: 1° Atrophia plus aut  
minùs absoluta quærumdam ex ejus partibus, alterutrius,  
aut utriusque hemispherii; 2° durescit aut mollescit ce-  
rebrum partim aut universim; 3° fiunt numerosæ minùs,  
minùs altæ circumvolutiones, et aliquandò multum in diversa  
discedunt, imò prorsùs desunt in quibusdam cerebri regio-

nibus; 4<sup>o</sup> fiunt exulcerationes plùs minùsve latæ , plùs minùsve altæ ; 5<sup>o</sup> fit absentia plùs minùs absoluta cerebrealis substantiæ , sive eam consumpserit atrophia , sive exhausta fuerit , et ei substituti fuerint tumores plùs aut minùs magni , et variæ generis materiam continentes ; 6<sup>o</sup> denique , plùs aut minùs abundans effusio , et cerebri ejusque membranarum adhæsió.

## XII.

Inter calvæ læsiones invenimus : 1<sup>o</sup> ejus exiguitatem ; 2<sup>o</sup> utriusque partis inæqualitatem ; 3<sup>o</sup> plana fit in diversas facies , eo tamen modo ut primo aspectu pateat qui sit idiotæ status.

## XIII.

Unus ex nostris competitoribus Dr. Guillot , qui de eâ re plurima et notu digna nos contulit , indixit in arteriis per idiotarum encephalum distributis anomalias quasdam quæ ad earum numerum exiguitatemque pertinent.

## XIV.

Aliquandò denique læsiones organicæ quæ in idiotis animadvertuntur eximiâ organorum encephalicorum tenuitate constant , et si æqualis nobis videatur eorum structura.

## XV.

Si symptomatibus per idioti vitam scrutatis comparentur organicæ læsiones quæ vesaniâ illâ inveniuntur , evidentem

video correlationem. Effugitne intellectus? Vegetativâ tantum modò egrotus fruitur ne, ut egregius dixit *Georget*? Læsiones apparent intimæ, nec non atrophum cerebrum. Sunt ne adhuc quædam leves intellectûs reliquiæ? Organicæ læsiones suprâ minimæ videntur..... etc.

XVI.

Ergo, primò vesania, præ aliis horrenda, à læsionibus organicis evidenter pendet. Ergo, inutilis fit vitalis alteratio ut observata explicantur symptomata.

*De Maniâ et Dementiâ.*

XVII.

Læsiones organicæ quas in *maniâ dementiâ* que reperimus ad eò permixtæ nobis apparent, ut in earum enumeratione de utrâque promiscuè loquemur, parùm curans has affectiones describere, aut earum speciem et genus definiendo explicare, quod notum habetur; priùs tamen annotabo ad dementiam pertinere læsiones quæ cæteris altitudine præstant.

XVIII.

Hic, ut in vesaniâ de quâ superiùs diximus, organicæ læsiones cerebrum ejusque membranæ, ossaque circumstantia aggrediuntur.

XIX.

Inter læsiones organicas quæ deprehenduntur in cerebro



eorum qui mania aut dementia agitati occubere, hæc præcipue numerandæ sunt :

1° Rubor et inæqualis vascularis injectio ; 2° Quidam marmoreus color plus minusve saturator, plus minusve in latum porrectus ; 3° Conspicua durescentia ; 4° Mollescentia adeo perspicua ut eam comparare liceat cum eâ quæ putredinem sequitur ; 5° Atrophie alicujus organi partis ; 6° Mutua cerebralium circumvolutionum adhæsiō ; 7° Exulcerationes plus minus latae, plus minus altæ ; 8° Plurimæ et sero abundantes liquoris insinuationes per ipsum organum diffusæ ; 9° Extensio varicosa venarum quarum interna latera quædam ossicula aliquandò continent ; 10° Denique, varii generis tumores.

#### XX.

Inter organicas læsiones quæ in cerebri membranis perspicuuntur, colligendæ sunt quæ sequuntur : 1° sanguineæ injectiones, 2° concretiones, 3° pseudo-membranæ, 4° plus minusve intimæ adhæsiōnes, 5° granulationes, 6° sero purulentæ liquoris insinuationes subarachnoideæ, 7° purulentæ collectiones, satis exiguæ.

#### XXI.

Hæc sunt verò organice læsiones quibus impetita est calva :

1° Ossiculorum imminutio, qui, scilicet, densam utramque lamnam aliquandò vix retinent, aut aliquandò densantur et in quoddam eboris genus mutantur ; 2° Conspicua diploici texti explicatio.

## XXII.

Hæc organicæ læsiones, plus minùsve numerosæ reperiuntur plerùmque in subjectis, qui maniã aut dementiã percussi vitam amiserunt.

Aliquandò tamen nulla *percipitur* mutatio, nulla *tractabilis* organorum læsio quã pateat ratio maniæ observatæ dum viveret ægrotans homo. Hi rari quidem casus, sed reverà existunt: his respondebit quod de monomaniã dicturus sum.

## XXIII.

Si quis has mutationes accuratè percipiens eas cum mutationibus apud idiotas perceptis comparet, earum convenientiam negare non poterit.

## XXIV.

Nec meliori jure negaret earum congruentiam cum symptomatibus in viventi subjecto deprehensis, ad eò gravioribus, eòque magis cum idiotismi symptomatibus convenientibus, quò observati fuerint in subjectis quorum in defuncto corpore apparuerunt altissimæ mutationes.

## XXV.

Idiotia igitur ex unã parte, ex alterã autem dementia habendæ sunt duæ affectiones quæ maximam in symptomatologiã convenientiam exhibent et in organicis læsionibus ex quibus oriuntur.

## XXVI.

Deprehenditur inter varias mutationes quæ ad maniam et dementiam pertinent adstricta adedò series ut hinc colligere possumus quosdam ex gravissimis nullo ex alio fonte, nisi levioribus exortas esse.

## XXVII.

Ergò ut in idiotiâ, et in maniâ dementiâque symptomata quæ percipimus ex organicis læsionibus originem trahunt.

*De Monomaniâ.*

## XXVIII.

Reperiuntur aliquandò et in monomaniâ aliquot læsionum organicarum quas jam in maniâ et dementiâ excepimus. His igitur adscribenda sunt symptomata per vitam subjecti observata. Sed nulla plerumque apparet *tractabilis* mutatio.

## XXIX.

Superiùs asserui nullam in monomaniis plerùmque reperiri *tractabilem* organi mutationem, ex quo non colligam ullam prorsùs existere, sed reverà a nobis, in subjecto tam tenero, parùm cognoscentibus, imò vix cognoscentibus anatomiam cerebri, ne dùm physiologiam, conclusionem istam tracturam esse negabo.

## XXX.

Ex his vinculis quibus, sententiâ meâ, adstringuntur læsiones organicæ in maniâ dementiâque observatæ, ex constanti variarum vesaniarum decursu, ex ordine in quo sibi invicem succedunt, deducam, et in monomaniâ existere læsiones organicas, quæ, in principio, parùm apparentes oculos omnium fallunt, sed quæ postea certioribus signis annotatæ, vera maniæ et dementiæ symptomata exhibent.

## XXXI.

Collectis ergò prædictis, symptomatibus variarum vesaniarum accuratè perpensis, carum que observatis correlationibus quæ cum organicis læsionibus præbent, illæ fiant conclusiones.

## XXXII.

Inutilis evadit principii vitalis alteratio ut variarum detur vesaniarum explicatio.

## XXXIII.

Vesaniarum origo esse potest in incompletû organorum compositione, ut in idiotis vidimus.

## XXXIV.

Hæc quoque esse potest in physicâ cerebri læsione quæ ex sensuum nostrorum applicatione sæpè æstimari potest.

XXXV.

Denique in quibusdam animi commotionibus quæ semper, sententiâ meâ, physicas cerebro læsiones *primùm* attulerint, quæ læsiones à nobis sæpè æstimari non possunt, sed quæ à nobis certè intelligerentur, si hominis anatomia, si physiologia et pathologica anatomia perfici possent et divisam lucem in unum lumen conferre.

FINIS.